

seatur statutum etiam in Abbatibus, & Prælatibus annualibus, qui similiter annuatim simili modo de quindecim annis in quindecim annos solvere teneantur. Ita quod omnia, & singula decreta, & statuta, constitutiones, ordinationes, præcepta, censurarum promulgationes, & earum absolutiones, & quæcumque alia eorum mandata, debeant ab omnibus dictæ Congregationis in virtute sanctæ obedientiæ observari. Quodque contravenientes, & rebelles, dictisque sententiis, censuris, & poenis per eos irretitos, & innotatos, ad evitandum periculum evagandi, per se aut deputatos per eos, libere absolvere possint.

§.39. Item quod præfatus Pater Abbas generalis pro tempore existens, quoad illa Monasteria dicti Ordinis extra dictam Congregationem existentia, ac Abbates, Prioratus, loca, & personas eorumdem in omnibus, & per omnia remaneat in sua facultate ipsa gubernandi, & ipsum officium Generalatus exercendi in omnibus, & per omnia prout Pius, præfatus Abbas, & Priores extra dictam Congregationem propter præmissa, nec aliquod præmissorum, censeatur esse extra obedientiam dicti Generalis, sed sub obedientia ipsius Generalis permaneant; Et adveniente ipsius Abbatis, & Generalatus vacatione, ejusdem Ordinis Abbatis novi, & Generalis electio spectet, & pertineat juxta antiquam, & laudabilem consuetudinem, ad Monachos, & Conventus professos, & Conventus B. Mariæ Vallis Umbrosæ pro tempore existentis, & ad Abbates & Priores ejusdem Ordinis habentes voces in Capitulo Generali tantum.

§.40. Quodque privilegia dicti Monasterii B. Mariæ Vallis Umbrosæ & Generalis ejusdem Ordinis, firma in suo robore permaneant ut prius.

§.41. Item quod Pater Generalis præfatus cum Definitoribus præfatis singulis annis ut supra eligere habeant, & possint unum professum idoneum dictæ Congregationis loco Notarii publici, qui omnia acta, agenda in Capitulo dictæ Congregationis per præfatos Capitulum generale, Patrem Generalem, Definidores, & Visitatores, describere, & in notam redigere possit, & valeat, ejusque scripta in iudicio, & extra, inter eos dumtaxat, etiam in Romana Curia, & alibi fides adhibeatur, ac si per Notarium publicum, & authenticum facta, & acta forent.

Nulli ergo, &c.

Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Pridie Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. P. A. 1.
die 31. Jan.

IV.

Contra annatas ex fructibus Beneficiorum Ecclesiasticorum statutis temporibus non solventes.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ Cameræ, ex qua non modo S. R. E. sed etiam magnum totius Christianæ Reipublicæ subsidium provenit, jura illa servare, ut tenemur, modis omnibus cupientes, his, quæ propterea a prædecessoribus nostris emanarunt, libenter adjicimus muniminis nostri firmitatem, ac alias desuper providemus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

§.1. Dudum siquidem per fel. record. Pium Papam II. prædecessorem nostrum, accepto quod numerus debitorum dictæ Cameræ nimis auctus erat, & quod obligati pro annatis Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ auctoritate Apostolica affecti fuerant, excommunicationis sententiam in eos latam (quam non solvendo in præfixo eis termino, ipso facto incurrerant) minime curare videbantur, & per hoc animabus sic illaqueatis periculum imminerebat, & continua dictæ Cameræ damna subsequebantur; Idem prædecessor cupiens tam saluti animarum, quam ipsius Cameræ indemnitatibus salubriter providere, provide ordinavit, quod omnes, quide cetero pro annatis quorumcumque beneficiorum in dicta Camera se obligarent, si intra eis præfixos terminos, dictæ Cameræ, aut Collectoribus fructum, & proventuum ejus, in partibus existentibus satisfacere deficerent, ipso facto, lapsæ termino, non solum in sententia excommunicationis inciderent, sed etiam beneficiis suis, pro quibus se in dicta Camera obligassent, omnino privati forent, illi vero, qui non pro se, sed pro aliis, ut principales, se pro annatis hujusmodi obligarent, si in terminis non satisfacerent, ultra sententiam excommunicationis hujusmodi, essent ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ obtinerent, privati, possentque talia beneficia per quoscumque libere impetrari, prout in ejusdem prædecessoris literis desuper confectis plenius continetur.

§.2. Cum autem, sicut accepimus, ex ordinatione prædicta, ab aliquibus temporibus citra, ideo optati fructus non provenirent, quia nonnulli, qui beneficia Ecclesiastica per hujusmodi privationem vacantia, pro tempore postmodum impetrarunt, super illis agendo, & qui excipiendo, privationem hujusmodi in iudicium deduxerunt, coram Palatii causarum Apostolici Auditoribus, & aliis iudicibus Romanæ Curie, auditi non fuerunt ab eisdem Auditoribus, & iudicibus, asse-

Exordium.

Pius II. imposuit poenas hic expressas non solventibus annatis sed ejus Constit. hic non habes.

Et quia lites desuper ortæ erant.

asce-

asserentibus ordinationem eandem prædecessoris præfati non fuisse receptam, & moribus utentium comprobata, crevitque, & crevit in dies numerus debitorum eorumdem, in animarum non solum periculum, & præfata Cameræ, ac Christianæ Reipublicæ præfate non leve præjudicium.

Pont. i. h. e. ap-
probat. Con-
stit. Pii II.

Conceditque
terminum ad
solvendum
annatas de-
curas.

Non solven-
tes annatas
poenas hic
contentas in-
currunt.

Solutio ut
probanda.

Decretum
irritans.

Claufulæ de-
rogatorie.

Dat. P. A. 1.
die 17. Feb.

§.3. Nos igitur volentes super præmissis opportune providere, ejusdem prædecessoris ordinationem, & literas prædictas, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, juxta illarum continentiam, & tenorem.

§.4. Ac volumus, & eadem auctoritate statuimus quod hæcenus obligati Cameræ eidem ex causis prædictis, qui non solverunt statutis eis terminis, ac propterea excommunicationis sententiam, & juxta ejusdem prædecessoris literarum continentiam, privationis poenam prædictam incurrerunt (si Curiales, infra unum Citramontani, infra tres, & Ultramontani, infra novem Menses, a die publicationis præsentium in Cancellaria Apostolica computandos) dictæ Cameræ de his quæ debeant, satisfecerint, ex tunc, eo ipso, ab excommunicationis sententia absoluti, & ad beneficia, quibus propterea juxta ordinationem prædictam privati existunt, plenarie restituti censeantur; & si non solverint in terminis prædictis, privationis poenam prædictam de novo incurrant eo ipso.

§.5. Quod illi, qui in posterum se obligabunt, excommunicationis, & privationis poenas prædictas, juxta ejusdem prædecessoris ordinationem, omnino incurrant, & impetrantes beneficia per hujusmodi privationem vacantia, & similiter contra illos sic privatos, de privatione hujusmodi excipientes; possint, & debeant per quoscumque Auditores, & Judices audiri, nec eo prætextu, quod constitutio prædicta non fuerit recepta, & moribus utentium comprobata, repelli, teneanturque Auditores, & Judices quicumque in causis cognoscendis in Romana Curia, & extra, secundum eandem ordinationem judicare; sublata eis, & cuilibet eorum quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate.

§.6. Nec profint obligatis prædictis quietationes, quas a collectoribus, vel subcollectoribus prædictis haberent, quæ publico non probarentur Instrumento.

§.7. Decernentes præfatas literas ex die publicationis earum in Cancellaria Apostolica, quoscumque ligare, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Non obstantibus &c.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, 13. Kal. III. Idus, III.

lend. Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Letta, & publicata fuit superscripta Bulla Roma in Cancellaria Apostolica, Die Jovis xvii. mensis Februarii, Anno Domini 1485. Pontificatus præfati Innocentii Papæ VIII. Anno Primo.

Publicatio.

V.

Contra accipientes bonorum Ecclesiarum, & Monasteriorum administrationem, absque Sedis Apostolicæ licentia, literisque ab ea impetrandis minime expeditis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad reformandum Ecclesiasticorum mores, & actus coelitus Nobis meritis licet insufficientibus collata potestas nos hortatur et urget, ut ea eis interdiceret solertiori diligentia curemus, in quibus frequentius eos excedere in animarum suarum periculum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum præjudicium assidua plurimorum iniquatione sentimus.

§.1. Dudum siquidem fel. rec. Bonifacius Papa Octavus Prædecessor noster inter alia statuit, quod Episcopi, & alii Prælati Superiores, necnon Abbates, Priores, & ceteri Monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine censerentur, qui apud Sedem Apostolicam promoverentur, aut confirmationem, consecrationem, vel benedictionis munus reciperent, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria absque dictæ Sedis literis eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, & benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumerent, nullique eos absque dictarum literarum exhibitione & ostensione reciperent, aut eis parerent vel intenderent; Et si secus præsumptum foret, quod per Episcopos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monast. regimina exercentes prædicto medio tempore actum foret, irritum haberetur; nec quidquam interim dicti Episcopi, vel Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes de Ecclesiis, & Monasteriorum proventibus perciperent eorumdem; Capitula verò & Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ipsorum, & alii quicumque ipsos absque dictæ Sedis literis recipientes, vel obediens eisdem, tamdiu forent a Beneficiorum suorum fructuum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam mererentur obtinere.

§.2. Et deinde recolendæ memoriæ Alexander Papa VI., etiam Prædecessor noster de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio omnibus, de quorum personis Patriarchalibus, Metropolitanis, & aliis Cathedralibus Ecclesiis, & Monast.

Exordium.

Bonifacius VIII. statuit ad Beneficia quocumque promoti apud Sedem Apostolicam, sine ejusdem literis eorumdem Beneficiorum possessionem non reciperent.

Hoc idem firmavit Alexander VI.

His vero non obstantibus nonnulli fraudulenter ad huc provisionum litteris non expeditis Beneficiorum possessionem apprehendunt.

Itaque Innocentius Ratione prout in rubrica additis penis privationis in habilitacionis, &c.

steris, ac Conventualibus Prioratibus, in titulum, administrationem, vel Commendam contingeret provideri, ne literis super huiusmodi provisionibus non expeditis, Ecclesiarum, & Monasteriorum ac Prioratuum eorumdem regimini se ingerere ullatenus præsumerent districtius præcipiendo inhibuit, prout in eorumdem Prædecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

§. 3. Cum autem sicut fide digna relatione accepimus, quamplurimi variis exquisitis fraudibus tam regimini, & administrationi Ecclesiarum, Monasteriorum, & Conventualium Prioratuum, quibus in Prælatos, Administratores, seu Commendatarios pro tempore per Sedem Apostolicam præficiuntur, se ingerere, quam Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura & sine cura Secularium & Regularium, de quibus eis in titulum, vel commendam, sive administrationem per dictam Sedem pro tempore providetur, litteris super provisionibus, provisionibus, in administrationem concessionibus, & commendis, aliisque dispositionibus, quæ ad eorum commodum ab eadem Sede emanarunt, nullatenus expeditis, aut bullario seu registro earum, seu Camere Apostolicæ existentibus, seu sub sigillo dictæ Camere Mercatoribus, vel aliis cum facultate reportandi ad certum tempus traditis mediatis processibus super illis sic totaliter non expeditis fraudulenter desertis, aut litteris in forma Brevis seu Monitorialibus nuncupatis, quas ab eadem Sede, ut facilius possessionem nanciscantur, tacito quod litteræ præfectionum, provisionum, commendarum, & aliarum dispositionum huiusmodi expeditæ ex toto non forent, nonnuquam extorqueant, vel alias possessionem apprehendere non formidant in animarum suarum periculum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, aliorumque Beneficiorum huiusmodi detrimentum.

§. 4. Nos multorum querelis excitati, volentes super his opportunum adhibere remedium, eorumdem Prædecessorum Statutum, ordinationem, & inhibitionem huiusmodi, & prout illa concernunt omnia, & singula in dictis eorum litteris contenta Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, ac illa innovantes, & ampliantes eadem auctoritate hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quod de cetero futuris temporibus illi, qui regimini, & administrationi Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, ac Monasteriorum, etiam per Priorem gubernari solitorum, quibus per dictam Sedem in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, administratores, Priores, & Commendatarios præfecti fuerint, se ingerere, aut Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet cum cura, & sine cura Secularium & Regularium, etiam si Sa-

cularia, dignitates, personatus, administrationes, & officia, canonicatus, & præbendæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, & dignitates ipsæ in eisdem Cathedralibus etiam Metropolitanis post Pontificales majores, seu Collegiatis Ecclesiis huiusmodi principales, Regularia vero Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, administrationes, vel officia fuerint, & ad illa consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura imminet animarum, de quibus eis in titulum, commendam, seu administrationem per dictam Sedem provideri, seu alias in eorum favorem disponi continget, possessionem per se, vel alium, seu alios directe vel indirecte palam, vel occulte apprehendere præsumpserint antequam litteræ Apostolicæ super provisionibus, in administrationem concessionibus, commendis, provisionibus, & aliis dispositionibus huiusmodi confectæ, & totaliter etiam, quoad Cameram præfatam expeditæ, ac eis pro quibus emanabunt, seu alteri pro eis ut sic expeditæ pure, & simpliciter absque facultate reportandi traditæ existant etiam si ipsi desertos in fraudem processus desuper, ac in forma Brevis, necnon Monitoriales nuncupatas litteras huiusmodi super apprehensione possessionis, & immixtione in regimine & administratione prædictis in eorum favorem haberent, præter poenas in eorumdem Prædecessorum Constitutionibus contentas, quas ad eos, & recipientes eisdem extendimus, cum privationis juris, si quod eis tunc competierit, in Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum, ac Monasteriorum regiminibus, & administrationibus, necnon Beneficiis huiusmodi seu ad illa, ac inhabilitationis ad Ecclesias, Monasteria, & Beneficia ipsa, ac alia quæcumque Ecclesiastica impoterum obtinenda eo ipso incurrant.

§. 5. Qui vero apprehensis per eos aliquo ex modis prædictis regiminis Ecclesiarum & Monasteriorum, ac aliorum Beneficiorum huiusmodi possessionibus, immo vero intrusionibus incumbant de præfenti, Citramontani infra quatuor, Ultramontani vero intra octo menses post publicationem præsentium litterarum in Cancellaria Apostolica super eorum promotionibus, & aliis factis desuper in eorum favorem dispositionibus apostolicis, quibus se juvare intendunt, litteras ex toto, etiam quoad dictam Cameram apostolicam expedire, & super perceptis per eos hactenus, eisdem litteris non expeditis, fructibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum cum Generali in Romana Curia, aut aliis in partibus illis deputatis fructuum, & proventuum dictæ Camere debitorum Collectoribus componere procurent cum effectu alioquin mensibus elapsis eisdem omnes poenas prædictas, etiam privationis eo ipso incurrant.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Terminum præfatis Beneficiis, qui ut supra de Beneficiorum regimini in-gessit.

Obstantibus derogat.

Da-

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, Nonis Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

VI.

Jurisdicção Clericorum Rev. Cam. Apost. quascumque causas interesse ipsius Camere concernentes, summarie &c. cognoscendi.

Quod hanc Jurisdictionem, aliaque indulta, ac electionem, & numerum eorumdem Clericorum, habes sup. Const. XI. Eugen. IV. pag. 20.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Censit.

Jurisdicção Clericorum Rev. Cam. Apost. causas ejus, summarie, &c. cognoscendi.

CUM sicut accepimus, nonnulli magis rigori, & apicibus juris, quam æquitati adherentes, reducere utantur in dubium, an in causis dilectis filiis Clericis, & Præfidentibus Camere nostræ Apostolicæ, & præsertim inter Fiscum nostrum, & ipsius Camere ex una, & privatas personas, parte ex altera occasione pecuniarum, rerum, & bonorum ad dictam Cameram quavis occasione, vel causa, directe, vel indirecte spectantium, & pertinentium, aut in quibus dictæ Camere interesse resultare possent, solemnitates judiciales ac iuris positivi prout in aliis causis, coram aliis iudicibus, ordinariis, vel delegatis, aut quibuscumque Tribunalibus servari solita sint, servari debeant, ac ipsarum solemnitatum ommissio, coram dictis Præfidentibus, & Clericis processus, & sententias habitos, & latas, habendos, & ferendas vitare habeant.

§. 2. Nos igitur attendentes, quod Clerici, & Præsidentes Camere, in eadem personam nostram representantes, & quæ coram eis agitantur, coram nobis agitari censentur, cum illi pro quibusvis dubitationibus nos consulere valeant, ac de consuetudine illius loci solemnitates, & termini huiusmodi iudiciales prætermittant, & sola facti veritas attendi consueverint. Igitur scrupulosam ambiguitatem huiusmodi succidere, & causas super rebus, & negotiis quibuscumque in dicta Camera, inter quosvis, & præsertim præfatum Fiscum, & alios nunc, & pro tempore pendentes, celeriolem finem accipere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, nostraque deliberatione, & voluntate decernimus, declaramus, & mandamus, in omnibus, & singulis causis huiusmodi pro tempore vertentibus, summarie, sine strepitu, & figura iudicii sola facti veritate inspecta, omnisque juris positivi, & iudiciali solemnitate postposita per dictos Clericos, & Præsidentes dictæ Camere procedi, illasque terminari, & decideri debere, sententiasque per eosdem latas, & ferendas occasione ommissionis solemnitatis

Tom. III. Par. III.

judicialis, & juris positivi, nullatenus de nullitate impugnari posse, vel debere, dummodo pro veritate late sint.

§. 3. Sicque per quoscumque Iudices coram quibus, causas ipsas forsitan quovis modo agitari postmodum contigerit, observari volumus, & mandamus. Decernentes irritum, & inane, quicquid contra decretum istud fieri contigerit.

§. 4. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac legibus, stylo Palatii ceterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque, causarum omnium pendendum statum, nomina, &c. cognomina, pro sufficienter expressis habentes.

Placet, & ita Motu proprio mandamus.

Datum Romæ apud S. Petrum 15. Kalendas Septemb. Anno primo.

VII.

Declaratio, & revocatio concessionum jurispatronatus, & præsentandi ad Beneficia Ecclesiastica, per Sedem Apostolicam ejusque Officiales ab annis 25. citra factarum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM ab Apostolica Sede, ad quam de diversis mundi partibus negotiorum multitudo confluit, curis continue plena innumeris, nonnulla interdum ex aliquibus causis, aliquando per occupationem, & importunam petentium instantiam cedantur, quæ in alieni juris, & præsertim auctoritatis Apostolicæ, ac jurisdictionis Episcopalis, & aliorum collatorum, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, Hospitaliumque, & Piorum locorum præjudicium tendunt, & detrimentum: non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius providentiam, pro debito Pastoralis officii, spectat super his debite providere, illa ex aliis rationibus, & a jure non deviantibus causis maturius, & attentius deinde cognitis, quandoque revocat, & annullat, ac ad statum redigit rationis, maxime cum rerum, & temporum qualitate pensatis id in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 1. Sane postquam ad summi apostolatus apicem fuimus divina favente clementia assumpti, fide digna plurimorum relatione intelleximus, quod nonnulli Roman. Pontifices Prædecessores nostri, & dictæ Sedis Legati, ac Nuncii, etiam cum potestate Legati de Latere, eorum legatione, vel de speciali facultatis auctoritate, retroactis temporibus, & præsertim 25. annis citra, diversis Regibus, Reginis, Ducibus, & Marchionibus, & aliis

Clausula sub-lata, &c.

Derogatio contrariorum

Papa subscrip-tio.

Dat. P. A. 1. die 18. Aug.

Inserendum

Enarratio causarum hujus revocationis.

C c 2

Prin-

Principibus, Communitatibus, Civitatibus, Universitatibus Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, Confraternitatibus, & Collegiis secularium personarum, necnon aliis tam Ecclesiasticis quam secularibus personis, diversorum status, gradus, & conditionis, aliquibus eorum simpliciter, & absque alia causa, & aliquibus sub certis conditionibus tunc expressis (quas personae, & alii supradicti adimplere promiserant, vel quae per eos adimpleri mandabantur) iuspatronatus, & praesentandi, seu nominandi personas idoneas ad diversa Monasteria, Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, ac alias dignitates Conventuales, ac in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores & Collegiatis Ecclesiis principales personatus, administrationes, officia, Canonicatus, & Praebendas, ceteraque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, Secularia, & Regularia, ac Hospitalia, & alia pia loca, ex tunc deinceps vacatura, pro eis, eorumque haeredibus, & successoribus, & alias, seu aliis modis, & formis, per diversas eorum literas, in perpetuum vel ad certum tempus reservaverunt, concesserunt, & assignarunt. Quorum aliqui conditiones augendi valore annuum fructuum, reddituum, & proventuum Beneficiorum praedictorum, ad certam summam tunc expressam, seu reparandi, instaurandi, & reedificandi Ecclesias, illarumque structuras, & aedificia ad ruinam tendentia, vel jam funditus diruta, & destructa, ad quas ratione reservationis, concessionis, & assignationis praedictarum tenebantur, nullatenus executioni debitae demandarunt, & aliis conditiones huiusmodi adeo rēnes impositae fuerunt, quod Monasteriis, Prioratibus, Praeposituris, Praepositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, & officiis, canonicatibus, & praebendis, aliisque beneficiis, ac hospitalibus, & piis locis praedictis, parva potuit exinde utilitas provenire, quinimmo, quod deterius est, nonnulli ex personis supradictis, quibus iuspatronatus huiusmodi, ut praemittitur, concessum est, Monasteriorum, Prioratum, praepositurarum, dignitatum, personatum, administrationum, officiorumque, canonicatum, & praebendarum, aliorumque Beneficiorum, ac hospitalium, & piorum locorum praedictorum fructus, redditus, & proventus, seu eorum partem, plerumque usurpant, & in suos damnales usus convertunt, quod ut commodius facere possint, ad Monasteria, Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & praebendas, aliaque beneficia, necnon hospitalia, & pia loca huiusmodi, personas minus idoneas, & de quibus pro eorum libito voluntatis disponere possunt, saepenumero praesentant, & in illis institui procurant, in grave Monasteriorum, dignitatum, aliorumque beneficiorum, ac hospitalium, & piorum locorum praedi-

torum prejudicium, & detrimentum, animarumque suarum periculum, perniciosum quoque exemplum, & scandalum plurimorum.

§. 2. Nos igitur attendentes, quod iuxta Canonicas Sanctiones, iuspatronatus praesentandi ad regimina Monasteriorum, Prioratus, Praeposituras, & alias Conventuales, necnon Cathedralibus, & Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, huiusmodi dignitates (ad quas personae idoneae per Conventus, & Capitula illarum, seu illorum dum pro tempore vacant eligi consueverunt) in laicum nullo modo cadere potest, nisi ex speciali Sedis praedictae privilegio, quod nonnulli ex maximis, & urgentibus causis alicui per Sedem eandem concedi consuevit, quodque etiam conveniens non videtur, quod iuspatronatus ad beneficia Ecclesiastica pro nulla seu levi, & facili causa acquiratur, & praesertim cum juris alieni praedicti. Volentes, ne Sedis praedictae auctoritas, & locorum Ordinariorum, aliorumque Collatorum, & Collatricum iusdictio propterea in dies minuantur, ac Monasteria, dignitates, & alia beneficia, hospitalia, & pia loca supradicta ex concessionibus, & reservationibus iuspatronatus huiusmodi detrimenta (prout propterea contingit) patiantur, seu Monasteria, & aliae dignitates electivae, ac in quibusvis reservationes, & concessionibus huiusmodi, pro nulla seu levi causa factae fuerunt) alia beneficia, hospitalia, & pia loca praedicta, seu solita gaudeant libertate, debite, prout nostro incumbit officio, providere: deliberatione super his cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus prehabita diligenti, etiam expressis, & certis aliis nobis notis, legitimis, & id suadentibus causis, omnes, & singulas concessionibus, reservationes, & assignationes iuspatronatus, & praesentandi seu nominandi personas huiusmodi ad Monasteria, Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas aliaque beneficia, ac hospitalia, & pia loca supradicta, per Sedem, ac Legatos, & Nuncios praedictos, a diebus 25. annis citra, Regibus, Reginis, Ducibus, Marchionibus, & aliis personis supradictis, necnon Civitatibus, Universitatibus, Confraternitatibus, & Collegiis huiusmodi, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & ex quibuscumque causis, ac de Apostolice potestatis plenitudine factis; quoad Monasteria videlicet, ac Prioratus, Praeposituras, Praepositatus, & alias dignitates, ac beneficia electiva, etiam si quaecumque conditiones propterea impositae adimpleverint.

§. 3. Quae vero ad non electiva, ac hospitalia, & alia pia loca huiusmodi factae fuerunt, si fructus, redditus, & proventus beneficiorum non electivorum, ac hospitalium, & aliorum piorum locorum praedictorum, ad medietatem veri annui valoris, fructus, redditus, & proventus eorum-

Revocatio
iuspatronatus
concessio-
num a 25. an-
nis citra fa-
ctarum qua-
ad beneficia
electiva.

rumdem, secundum communem aestimationem de propriis eorum bonis non auxerunt; vel Ecclesias de novo in illis non edificarunt, seu omnino funditus dirutas, & destructas non reedificarunt, aut loca, seu fundos in quibus edificarentur, non concesserunt, etiam si conditiones, ad quas alias forsitan quam modis praemissis tenebantur executioni demandassent, de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica, & etiam ex certa nostra scientia, tenore praesentium revocamus, cassamus, irritamus, & annihilamus, ac pro nullis, cassis, irritis, & inane omnino haberi volumus. Ordinariis, & aliis collatoribus, ac collatricibus quibuscumque concedentes, ut cessantibus reservationibus apostolicis, haecenus sic pro tempore factis, dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, & praebendas, ac alia beneficia supradicta, cum deinceps pro tempore vacaverint, nulla expectata praesentatione, siue nominatio, conferre, ac hospitalia, & alia pia loca committere, Monasteriis vero huiusmodi de personis idoneis providere, seu alias de illis disponere, ac Conventibus, & Capitulis Monasteriorum, Prioratum, Praepositurarum, Praepositatum, ac aliarum dignitatum, praesertim Conventualium, necnon Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum, ut in electione personarum idonearum ad illa ex beneficiis supradictis, quae electiva esse consueverint, similibus cessantibus reservationibus, procedere libere possint, & debeant, in omnibus, & per omnia, perinde ac si concessionibus, reservationibus, & assignationes iuspatronatus huiusmodi, nullatenus emanassent, ac districtius inhibentes omnibus, & singulis supradictis, quibus reservationes, & assignationes iuspatronatus huiusmodi, ut praemittitur, factae fuerunt, ne de cetero occurrentibus vacationibus Monasteriorum, Prioratum, Praepositurarum, Praepositatum, dignitatum, personatum, administrationum, ad praesentationem, seu nominationem aliquam procedere, ac Ordinarios, aliosque collatores, & collatrices praedictos, quominus illa conferant, & eos ad quos electio pertinet, ne eligant, directe, vel indirecte impedire contra praesentium tenorem quoquomodo praesumant.

Decretum
irritans.

Derogatio
contrariorum

§. 4. Decernentes etiam ex nunc irritum, & inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon literis super reservationibus, & concessionibus huiusmodi expeditis, etiam si in eis contineretur, quod illa generalibus revocationibus, quae fierent, nullatenus includerentur, nisi de personarum quas concernunt, & quarum consideratione emanarunt, nominibus, cognominibus, dignitatibus, officiis, ac causis propter quas concessae sunt, seu quavis alia expressio individua fieret de eisdem, idque

eis insinaretur per diversas literas sub diversis datis, & earundem personarum in huiusmodi revocatione expressis accedat assensus (quas, & quaecumque alias clausulas, quae ad huiusmodi effectum, quod non includerentur in huiusmodi revocatione in eis directe forent, illis praesentibus pro insertis, & sufficienter expressis habentes, nemini volumus nullatenus suffragari, quo minus reservationes, & concessionibus iuspatronatus, ac literae desuper confectae huiusmodi, in praesentibus literis, & revocatione includantur, perinde ac si omnia requisita ad eorum revocationem, iuxta earum formas, & clausulas in eisdem praesentibus literis, & revocationibus specificarentur, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, decimo Kalen. Septembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Acta in Camera Apostolica die Sabbati decima mensis Septembris, & publicata die Martis 13. Septembris, in Portis Camera Apostolicae.

Dat. P. A. r.
die 23. Aug.

Publicatio.

VIII.

Auditorum Rotae Romanae Officia vacante per eorum promotionem ad Ecclesias Cathedrales, vel Metropolitanas.

Quod haec officia ante hanc diem non vacarent, indicat mihi Bulla II. Sixti IV. super Jul. 132. Romani.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta in omnibus actibus suis Apostolica Sedes providentia ad ea libenter intendit per quae singula Romanae Curiae officia, ut praefertur, in quibus ius dicitur per personas, quae ab omni alio onere libere ad illa commode intendere possint, exerceantur, & personae ipsae dum Cathedralibus vel Metropolitanis Ecclesiis praeficiuntur, ab oneribus officiorum huiusmodi pro Pontificali reverentia dignitatis, uti conveniens existit, immunes regimini & gubernationi Ecclesiarum ipsarum pro debito pastoralis officii liberius vacare, & onus ad quod assumpti fuere melius valeant adimplere. Sane sicut facti evidentia demonstrat, saepenumero contingit ut Romani Pontifices pro tempore existentes considerantes merita dilectorum filiorum causarum Palatii Apostolici Auditorum pro tempore existentium, postquam aliquandiu in eorum officiis laudabiliter laborarunt, ut tandem post multos labores condigna pro meritis premia reportent, quo ceteri huiusmodi exemplo allecti in dies ad studia magis incendantur, aliquos ex eisdem Auditoribus ad

Causa huius
Constitut.

Auditorum
officia va-
cent, ut in-
rubr.

ad Cathedralium five Metropolitanarum Ecclesiarum pro tempore vacantium regimina promoveant, eosque illis prefigiant in pastores, quodque post promotionem & perfectionem predictas, Auditores prefati ad regimina Cathedralium five Metropolitanarum Ecclesiarum huiusmodi assumpti, nihilominus dicta eorum officia sub pretexto quod propterea non vacent exercere non desinant, quo fit ut Ecclesia ipsa suis ob illorum continuam in Romana Curia residentiam remaneant pro majori temporis parte quasi viduata pastoribus, non sine magno illarum dispendio ac animarum periculo.

§.1. Nos igitur attendentes, minus conveniens fore quod assumpti ad huiusmodi regimina debeant circa strepitum iudiciorum continue versari, ac taliter esse illis intentos, ut pastorale officium eis commissum nequeant per se ipsos adimplere, & propterea more vigilis pastoris salubriter providere volentes, matura super hoc cum fratribus nostris Sancte Romanę Ecclesię Cardinalibus deliberatione pręhabita, huius perpetuę & irrefragabilis constitutionis edicto de fratribus predictorum consilio, auctoritate Apostolica & ex certa nostra scientia tenore presentium statuimus decernimus, et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, quotiens per nos seu Sedem predictam aliquem ex dictis Auditoribus nunc et pro tempore existentibus, ad aliquam Cathedrali seu Metropolitanam Ecclesiam huiusmodi promoveri, seu iam promotum transferri contigerit, officium auditoratus huiusmodi quod sic promotus vel translatus tunc obtinebit, per provisionem, perfectionem, seu translationem predictas, vacet, vacasse et vacare censeatur eo ipso.

Decretum
irritans.

§.2. Sicque ab omnibus iudicari, et deputari debere, postque de illo tamquam sic vacante per Romanum Pontificem tunc existentem statim, alias ut moris est, libere provideri.

Contrario-
rum deroga-
tio.

§.3. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dicti officii iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apostolicis eidem Auditoribus forsitan, etiam motu proprio, & ex simili scientia, ac sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogationum derogatoriis, & talibus quod illis non nisi sub certis inibi expressis, modo & forma nullatenus possit derogari, concessis & concedendis in posterum, quibus omnibus (illarum tenores presentibus pro insertis habentes) quoad hoc specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse, eaque pro infectis, & non concessis haberi volumus, ceterisque contrariis quibuscumque,

D. P. An. 1.
die 23. Aug.

Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, decimo Kal. Sept. Pontif. nostri anno primo.

Jurisdiclio et facultates Auditoris causarum Curie Rev. Camere Apostolicę. Hoc officium ampliores in dies jurisdictiones acquisivit a Pontificibus successoribus, quorum bullę multę sunt. sed hanc usi ceteris qua haberi potuerunt, antiquiorem, & aliam Pauli V. uti postremam ac pleniorē ponendas esse duxi, aliis tamquam non necessariis prætermisisti, præterquam altera Pii IV. quę incipit Ad eximiam, ut statum huius officii etiam mediis temporis cognoscere valeas.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilecto filio Magistro Petro de Vicentia V. J. Doctori Capellano nostro, & causarum Curie Camere Apostolicę generali Auditori, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procurium.

Apprimę devotionis affectum, quem cum fidei constantia et sinceritate mentis, ad nos, et Romanam Ecclesiam gerere comprobatis, necnon literarum excellentiam, vitęque decorem, et morum honestatem, alique probitatis, et plurimarum virtutum tuarum merita, quibus personam tuam, ex fide dignorum testimonio iuvare percipimus, nostrę dirigentes considerationis intentum, ac propterea indubiam spem gerentes, quod ea quę tibi committenda duxerimus, summa cum providentia et exacta diligentia laudabiliter exequeris, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut eam dem personam tuam condignis favoribus et gratiis prosequamur.

§.1. Cum itaque officium generalis Auditoratus, seu audientie causarum Curie Camere Apostolicę, quod quondam Joannes Prioris causarum dictę Curie generalis Auditor, dum viveret exercebat, per obitum dicti Joannis, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, apud Sedem ipsam vacaverit, & vacet ad præsens.

Officiu Au-
ditoratus va-
cavit per ob-
itum Joannis
prioris.

§.2. Nos de tui literarum scientia probitate, & singulari providentia, aliisque virtutibus huiusmodi, quas in te divina propagante clementia, sumentes in Domino fiduciam specialem, & sperantes quod tu officium audientie causarum Curie Camere predictę, scies, voles, & poteris, probe, feliciter, & laudabiliter exercere, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius, per te nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa nostra scientia, officium generalis Audientie, seu Auditoris causarum Curie Camere huiusmodi sic vacans, ut prefertur, cum omnibus honoribus, & oneribus, privilegiis, iuribus, & emolumentis consuetis, auctoritate Apostolica tenore presentium tibi conferimus, concedimus, & etiam assignamus, ac te nostrum, & dilecti filii Raphaelis Sancti Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalis moderni, & pro tempore presentis Camera-

Et modo hic
Pont. illud
conferit Petro
de Vicentia
Capellano
cum solitis
jurisdictioni-
bus &c.

rii

Facultasque
eidem datur
per Locum-
tenentes causas
Criminales,
Curialium co-
gnoscendi.

rii nostri, ac causarum Curie huiusmodi generalem Auditorem, eadem auctoritate facimus, constituimus, creamus, & deputamus.

§.3. Tibique per te, vel alium, seu alios idoneum, seu idoneos locumtenentes, & Vicegerentes tuos, quos pro tempore, totiens, quotiens tibi placuerit, duxeris assumendos, seu deputandos, de omnibus, & singulis criminibus, excessibus, & delictis in Curia Romana, vel extra eam, per quoscumque, tam officiales Sedis Apostolicę, quam alios Curiales Romanę Curiam sequentes, cuiuscumque dignitatis, Ecclesiasticę, vel mundanę, status, gradus, ordinis, vel conditionis, perpetratis, & perpetrandis, tam per Fisci nostri pro tempore presentis procuratoris denunciationem, & accusationem, quam etiam ex mero officio, inquirendi, & super illis, tam per inquisitionem huiusmodi, quam accusationem, seu denunciationem, procedendi, reperi- tos culpabiles juxta excessum per eos perpetratum exigentiam puniendi.

Causasque
tam Civiles,
quam Crimi-
nales in Curia
motas, &c.
eidem cogno-
scendi.

§.4. Necnon omnes, & singulas, tam civiles quam criminales, & mixtas, spirituales, Ecclesiasticas, & prophanas, & alias quascumque causas, in quibus ad membri mutilationem, aut sanguinis effusionem, & condemnationem non intenditur, conjunctim vel divisim, quomodocumque, & qualitercumque in eadem Curia motas, & movendas, seu quomodolibet nunc, & in posterum inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis ex officio pendentes.

§.5. Et quę sive per appellationem, interdictionem a gravaminibus illatis, & inferri comminatis, ac sententis etiam definitivis, latis, & promulgatis, etiam per dilectum filium nostrum S. R. E. Mariscalcum, & in sua Curia, & alios quoscumque Judices, ordinarios, & delegatos, seu arbitros, vel arbitratores in Terris Romanę Ecclesię mediate, vel immediate subiectis, etiam quibusvis in feudum, vel vicariatum concessis, aut alias ad Sedem Apostolicam etiam per viam reclamationis judicialis, vel extrajudicialis, sive alias per viam nullitatis delatę sunt, vel in posterum deferentur, eas videlicet in quibus non ageretur de majori summa, viginti quinque ducatorum auri de Camera, aut illius summe verum valorem excedente summarie, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicii, sola rei, & facti veritate inspecta, nullis- que terminis servatis, etiam qui de stylo seu ordinatione Palatii Apostolici, & alias fervari soliti sint, alias vero more solito audiendi, cognoscendi, & decidendi, ac sine debito terminandi.

Sententias, &
processus cen-
surarum exco-
quendi.

§.6. Necnon tuarum, & per tuos Locumtenentes, & aliarum quarumcumque in eadem Curia per quoscumque Judices delegatos vel subdelegatos litarum sententiarum, Et quorumcumque processuum generalium per Roman. Pontif. tam in die Cęnę Domini, quam alias, cum cen-

surarum, & poenarum Ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum, ac etiam quarumcumque aliarum, tam per nos quam per Roman. Pontific. pro tempore existentes, sive in specie sive in genere, & alias quomodolibet litarum, & feren- darum sententiarum executionem, quam etiam si delegatis ipsis, aut subdelegatis, seu aliis quicquidque specialiter forsitan per nos, vel Sedem predictam commissę forent, aut committerentur pro tempore accumulative quoad te tuosque Locum- tenentes, non autem privative, commis- sas fere decernimus, & declaramus faciendi, illasque debite terminationi, etiam cum invocatione auxilii Brachii secularis si opus fuerit, demandandi.

§.7. Et predictos & alios etiam extra Romanam Curiam degentes tuę tam jurisdictioni ratione filarii in Romana Curia per quoscumque debiti, vel expensarum mutui vel contractus in eadem Curia initi, aut alias quovis modo sponte submissas, & submittendas Universitates, Collegia, & personas cuiuscumque gradus, status, etiam Pontificali præminentie, & alias in dicta Curia degentes personas, ad instantiam quorum intererit, etiam pro expensis, damnis, & interesse, in causis quibuscumque contractibus, quoties expedierit, citandi, movendi, requirendi, suspendendi, ac specialiter interdicendi, excommunicandi, & iteratis vicibus aggravandi, illasque prout expedierit arrestandi, incarcerandi, & detinendi, poenas, & multas pro delictorum, excessuum, & criminum qualitate eis infligendi, & imponendi, ac ipsas, & earum quamlibet, quas a nemine, etiam de partium consensu, & ad id specialiter delegato, ad impu- tandas collusiones & fraudes, præterquam a te tuoque Locum tenente absolvi posse decernimus, & ab ipsis singulis poenis, & multis spiritualiter, vel temporaliter absolvendi, & relaxandi.

Necnon cau-
sas contractus
initiorum in
Curia cogno-
scendi.

§.8. Et generaliter, omnia, & singula gerendi, statuendi, disponendi, præci- piendi, mandandi, & exercendi, quę ad huiusmodi Auditoratus officium de jure, vel consuetudine, quam presentibus approbamus, quomodolibet pertinerint, & quę Auditores causarum dictę Curie, qui pro tempore fuerunt, & ex concessa eis a predicta Sede facultate, facere, & gerere, statuere, & disponere, recipere, præcipe- re, mandare, exercere, ordinare, & exequi quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt, aut soliti sunt, faciendi, ge- rendi, statuendi, disponendi, recipiendi, mandandi, exercendi, ordinandi, & consequendi.

Et alia qua-
cumque fieri
solita, & con-
sue-
ta facien-
di.

§.9. Et unum vel plures, ad præmissa omnia, ipsūque Auditoris causarum Curie officium exercendi, quoties tibi placuerit, loco suo substituendi, & substitu- tos revocandi, ac illos, vel alios iterum substituendi, & deputandi, plenam, & liberam, dicta auctoritate Apostolica, concedimus facultatem, & potestatem. Ha- bituri processus, & sententias, quos, & quas

Plures ad ista-
rum causarum
cognitionem
deputandi.

quas feceris, statueris, & tuleris in contradictores quoslibet, & rebelles, ratas, & gratas, illasque facturi, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio
contrarium.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac privilegiis, concessionibus, & indultis quibuscumque communibus, & universitatibus Terrarum Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectarum, per nos aut praedecessores nostros Rom. Pont. sub quibusvis verborum formis, etiam si de illis specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret concessis contrariis quibuscumque.

Auditis iuramentum
fideliter officium
exercere.

§. 11. Volumus autem, quod antiquam officium Auditoratus causarum Curiae huiusmodi incipias exercere, de ipso fideliter exercendo, in manibus praedicti Camerarii nostri, seu eius Locumtenentis, praestes in forma solita iuramentum.

Mentio adita
illud administrandum.

§. 12. Tu igitur praedictum Auditoratus officium prompta devotione suscipias, et sic illud diligenti studio, cura, moderatione, et integritate exequaris, ut tua opera ad Dei laudem, et gloriam, ac eandem Ecclesiae, et Curiae bonum publicum, atque decus, privatorumque commoditatem, et exemplum laudabile cedant, teque apud nos, et sedem praefatam merito peramplius commendat, ut speramus.

D. P. An. 2.
22. Decemb.

Datum Romae etc. Anno etc. Millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto, undecimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

X.

Quod Conservatores, & executores literarum Apostolicarum ad favorem Congregationis S. Iustine de Observantia Monachorum S. Benedicti, omnes ii dati censeantur, quibus Sedes Apostolica causas delegare potest.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis Filiis Congregationi Monachorum S. Iustinae Paduan. Salutem, &c.

Exordium.

Devotionis augmentum vobis Deo propitio provenire confidimus, si super his, quae pro vestra tranquillitate, & submoveendis molestiis, & turbationibus opportuna videntur, ut in contemplationis suavitatem quiescere valeatis, prout cupitis, nos benignos ac favorabiles habeatis.

Causa huius
indulti.

§. 1. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod si vobis in genere, ac Abbatibus, & Prioribus, Conventibus Monasteriorum, Prioratuum vestrae Congregationis ubilibet per orbem consistentium concederetur, quod omnes, & singuli, quibus causae per scripta

Apostolicae Sedis delegari de iure possunt, ad executionem quarumcumque literarum dictae Sedis Conservatorialium nuncupatarum, pro vobis, & Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conventibus praedictis dati, & deputati sunt, & pro tempore dabantur, & deputabuntur, aliqui nominatim Conservatores contra inferentes vobis, & illis molestias, injurias, gravamina, atque damna, & cum potestate cognoscendi de his, quae iudicalem requirunt indaginem, exequi possent, & deberent, toties quoties contingeret eos requiri, profecto vobis, & Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conventibus vestris praedictis in praemissis longepius, & uberius confuleretur, favoremque pleniorum deportaretis ex eis vos Abbates, Priores, & Conventus praedicti, fructum, & utilitatem, nam variis plerumque respectibus, deputatis Conservatoribus opportuna remedia juxta literarum earundem continentiam, vos, & illi habere non potestis.

Supplicatio
Congregationis
Iustinae
pro hoc indulto.

§. 2. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis, Monasteriis, Prioratibus, membris, Abbatibus, Prioribus, & Conventibus praedictis, quae huiusmodi literarum conservatorialium executione ab omnibus, quibus causae per scripta Apostolica delegari possunt, obtinere libere, & licite valeatis, perinde ac si illae eis omnibus a principio directae fuissent concedere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Indultus quod
Conservatores,
& executores
literarum
Apostolicarum
ad favorem
Congregationis
Iustinae,
sint omnes
quibus causae
per scripta
Sedis Apostolicae
de iure delegari
possunt.

§. 3. Nos igitur qui regularem vitam professi libenter omnem inquietudinis materiam subtrahimus, vestrumque statum prosperum, & tranquillum paterno desideramus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis, & singulis, quibus causae auctoritate literarum Apostolicarum de iure delegari possunt, mandamus, ut dum, & quoties fuerint pro parte vestra Abbatum, Priorum, & Conventuum praedictorum, aut alicujus eorum legitime requisiti, super talium literarum executione, ad illarum executionem perpetuis futuris temporibus procedere possint, & debeant, per se, vel alios, alias juxta earum continentiam atque formam, in omnibus, & per omnia, perinde ac si literae a principio eis directae fuissent, & eis, ut, licet alias conservatores esse nequirent, illas exequerentur mandatum nominatim extitisset.

§. 4. Non obstantibus praemissis, &c.

Nulli ergo, &c.

Si quis autem, &c.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno II.

Dat. P. A. 2.
die 13. Junii.

Exem-

X I.

Exemptio Monachorum Ordinis Cisterciensis a Jurisdictione Ordinariorum, & solutione exactionum, & subsidiorum quorumcumque etiam caritativorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Procurium.

Ad Romani Pontificis spectat officium suorum praedecessorum inherendo vestigiis, illa, quae per ipsos praedecessores laudabiliter, ac provida ratione, pro statu, & quiete personarum sub regulari observantia assidue studio pie vacantium, gesta sunt, ut maiorem obtineant roboris firmitatem, quo sepius fuerint Apostolico praesidio communita, sui praesidii munimine roborare, ac illa etiam de novo concedere, prout rationabiles causae suaderent, & id in Domino conspicit salubriter expedire.

Multi Pontifici
huius Ordinis
exemptionem
a jurisdictione
Ordinariorum,
& solutionem
impositionum
concesserunt.

§. 1. Sane pro parte dilectorum filiorum Joannis Cistercii Cabilonen. Diocesis, aliorumque Cisterciens. Ordinis Monasteriorum, Abbatum, & Conventuum eorumdem nobis exhibita petitio continebat, quod licet ipsi, eorumque ac dicti Ordinis Monasteria, tam virorum quam mulierum, & alia religiosa loca, & membra, ac Monaci, Moniales, vassalli, subditi, & eis servientes, bonaque omnia, jam dudum per plures Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub ipsorum Pontificum, & Apostolicae Sedis protectione recepti, & recepta, ac Sedi praedictae immediate subiecti, & subiecta, necnon ab omni jurisdictione ordinaria exempti, & exempta fuerint; eisque concessum, extiterit, ut ad praestationem aliquarum collectarum, seu subsidiorum, aut procurationum, & aliarum exactionum per Sedem praedictam, seu ejus Legatos, aut ipsorum auctoritate, & mandato, seu per locorum Ordinarios, vel alios pro tempore impositorum non tenerentur, tamen desiderant pro maiori eorum quiete praemissis receptioni, subiectioni, & aliis praedictis etiam nostrae approbationis robur adici, illaque omnia, etiam per nos eis de novo concedi.

Pro cuius
exemptionis
confirmatione
ordo huius
Pontificis
supplicavit.

§. 2. Quare pro parte Abbatum, & Conventuum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut receptioni exemptioni, & subiectioni praedictis, ac singulis desuper confectis literis, pro illorum subsistentia firmiori, robur nostrae approbationis adiceret; ac eos necnon Monasteria, loca, membra, monachos, moniales, vassallos, subditos, servientes, & bona omnia huiusmodi de novo, sub nostra, & Sedis praedictae protectione suscipere, ac ab huiusmodi jurisdictione perpetuo eximere, & totaliter liberare, aliasque in praemissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Tom. III. Par. III.

§. 3. Nos igitur qui in singulorum sub regulari observantia pie vitae studio vacantium quiete reficimur, cupientes ut religiosi dicti Ordinis, quos praeter ceteris propter uberes fructus, quos in militanti Ecclesia continue bonis eorum operibus asserunt, in visceribus gerimus caritatis, eo liberior divinis beneplacitis insistere possint, quoad Sedem praedictam maiori liberalitatis privilegio noverint se communitos, huiusmodi supplicationibus inclinati, receptionem, exemptionem, subiectionem, ac singulas desuper confectas literas, cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore praesentium approbamus, ac perpetuae, & inviolabilis firmitatis robur obtinere decernimus, suppletes omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem.

Et de novo
concedi.

§. 4. Et nihilominus pro potioris cautelae suffragio, Monasteria, loca, membra, bona omnia praedicta, praesentia, & futura, Abbates, Abbatissas, Monachos, Moniales, vassallos, subditos, & servientes praefatos, nunc, & pro tempore, existentes, auctoritate, & scientia praefatis, sub Beati Petri, & Sedis praedictae, atque nostra protectione suscipimus; ac ab omni jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio, & potestate, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Judicum ordinariorum, eorumque Vicariorum, & officialium quorumcumque, necnon a solutione subsidiorum etiam caritativorum, procurationum, collectarum, & aliarum exactionum huiusmodi pro tempore imponendarum, auctoritate, & scientia praefatis perpetuo prius eximimus, & totaliter liberamus, ac Nobis, & Sedi praedictae immediate subicimus. Ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii, Vicarii, Judices, & Officiales praedicti, etiam ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, in eatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in eos, & eorum aliquem, aut Monasteria, membra, & bona praedicta, tamquam prius exemptos, & exempta, jurisdictionem, correctionem, superioritatem, dominium, vel potestatem exercere, aut excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut quavis alias sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas promulgare praesumant, seu possint aut debeant quoquo modo. Nec ipsi sic exempti coram illis, aut ipsius Sedis Delegatis, vel Subdelegatis, nisi in literis eis pro tempore directis de praesentibus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fiat, ad iudicium evocari, aut quovis modo directe, vel indirecte molestari possint. Decernentes omnes, & singulos processus, sententias, censuras, & poenas, quos, & quas per Archiepiscopos, Episcopos, Ordinarios, Judices, Vicarios, & Officiales praedictos, seu eorum aliquem contra Abbates, & alios exemptos, necnon Monasteria, & loca huiusmodi

Locorum Ordinarii eos iudicant non possunt, nisi habeant super hoc speciale Mandatum prout etiam Sedes Apostolica Delegati.

Secus agi si
quae contingant.

D d modi